

*Ornithopus* omne gerit radices nodosas.

*Potentillas* credo me ritè distinxisse in *Speciebus*.

*Coronillæ* differentia pulchra erat; pro quâ grates reddo.

*Gleditschia*, omninò est, sed characterem videas emendatum in dissertatione missâ.

*Ericæ vulgaris* nomen mutavi in *Speciebus*; erat, ut dixisti, nimis longum.

*Lupini* species, itidem in *Speciebus* accuratiùs distinxì.

*Rosæ* species nunc distinguere incipio ex pedunculis nudis, aculeatis, vel hirtis pedunculis.

*Pisi* characterem specificum emendavi in *Speciebus*.

*Alsine* novi generis, etiam in *Speciebus* videbis.

*Filiformis* dixi, quod est instar fili ejusdem ubiquè crassitici; *funiformis* videtur mihi involvere et crassitiem et longitudinem; sed fortè filum idem?

*Spatulatum* omninò, uti tu, concipio.

*Isocles* assumam; sed annon posses hoc latinè dare?

*Insectum* à te delineatum novi et habemus, sed ejus metamorphosin non novi.

*Rhodiola* tua mas est; contabescunt pistilla, ut in pluribus maritis, s. masculis floribus.

*Alcannæ* character à te datus, optimus est.